

SCRIPTA

Numéro Scripta : 3182

Auteur(s) : Guillaume Ier, Ponthieu (comte)

Bénéficiaire(s) : Neufchâtel-en-Saosnois, Notre-Dame de Perseigne (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : [1145-1171, 30 juin]

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Rejet par le comte Guillaume des prétentions de Robert Sanson sur le domaine de Malèfre appartenant aux moines de Perseigne ; confirmation du don fait par ledit Robert, Erembout, sa femme, et Guillaume, son fils, aux mêmes moines, de leurs droits sur le fief d'Osey.

Tableau de la tradition

Éditions principales

- a. Fleury Gabriel, *Cartulaire de l'Abbaye cistercienne de Perseigne*, Mamers, Fleury et Dangin, 1880, n° II, p. 8.
- b. Brunel Clovis Félix, *Recueil des actes des comtes de Ponthieu (1026-1279)*, Paris, Imprimerie Nationale (Collection de documents inédits sur l'histoire de France), 1930, n° LXXX, p. 117-119.

Dissertation critique

BRUNEL, p. 116, n. 1 : « Entre la fondation de l'abbaye de Perseigne (voir n° XXXII : SCRIPTA 3165) et la mort de Guillaume ».

Texte établi d'après b

Ego Vuillermus, Pontivorum comes, presenti scripto notum facio omnibus hominibus presentibus atque futuris quod, cum inter monachos de Persenia et Robertum Sanson super iis que dicti monachi habent apud Malafiam controversia verteretur in curia domine regine Anglie, in quibus dictus Robertus Sanson jure hereditario reclamabat vias ad quadrigas, ad equos et ad pedes, et usagium ligni habendum de vivo, et ad chauffagium de mortuo, et pascua suis animalibus, tandem, auditis partibus astantibus coram me, prius michi dicto comiti re[in]dicta curia reddita et inquisita per fide dignos, videlicet per Philippum de Melleio, Robertum de Nulleio, Vuillermum de Montibus, Johannem de Condé, Matheum de Turmel., et G. de Berch., milites ; Radulphum de Bu, Richardum de Planch[is], Hugonem BdeLL., presbiteros ; Vuillermum Foll., Joannem Cot., R. de Vall., Guidonem de Lonrayo, armigeros ; Vuillermum Hain, Robertum Doll., Hamonem d'Alit., Radulphum Bard., Johannem de Alencione, et per plures alios de Alencione et de pluribus villis et parrochiis contiguis, qui nemora, terras et prata Malafie dividerunt, et metas poni viderunt, videlicet sicut cheminum de Petris dividit terras et nemora, et junguntur dicte terre dicto chemino, et prata junguntur doeto qui dicitur Sorel, et nemora abotant dicto chemino de Petris, et junguntur et abotant dicta nemora chemino de Sancto Paterno apud Larreium, et extenduntur dicta nemora usque ad nemora de Larreio, et a dictis nemoribus usque ad cheminum de Petris, et recognitum est et approbatum coram me, dicto comite, quod predictus Robertus Sanson in dictis nemoribus Malafie nihil juris habebat, nec ad dictum usagium, nec chauffagium, nec vias, nisi tantum unam semitam ad pedibus transeundum a chemino parvo quod jungitur Malafie et per nemora in quibus habere potest pasturam suis bestiis a festo sancti Martini hyemalis, et ideo omnia

ista sint dictis monachis et successoribus suis in perpetuum libera et, omni reclamacione remota, ipsa claudere poterunt ad libitum quotiescumque voluerint, absque omni cuiusvis violentia et consuetudine, sive pallo, sive haiis, sive fossatis, ita tamen quod cursus aque Sorel non impediatur, que aqua Sorel labitur per medium dictorum nemorum Malafie. Et hec omnia ego, prenominatus Vuillermus comes, dedi et concessi dictis monachis in puram et perpetuam eleemosinam cum totis bordis, sicut extenduntur a chemino per quod itur de Sancto Paterno apud Larreium versus Calceiam in longum et latum, sicut dicte borde consistunt, in pratis et terris, que omnia predicta adhuc do et concedo dictis monachis et successoribus suis cum omni jure, dominio, jurisdictione et districtu michi vel heredibus meis pertinentibus, poteruntque dicti monachi vel successores sui terras et prata de dictis bordis claudere quotiescumque voluerint, sicut et de aliis rebus predictis. Preterea omnes res tam in eleemosinis quam in rebus acquisitis vel acquirendis, quas dicti monachi habere poterunt in toto feodo de Oseio, in silvis, terris, pratis, pascuis, predictus Robertus, Ereburgis, uxor ejus, que est heres totius feodi illius, et Vuillermus, filius eorum, dictis monachis et successoribus suis in presentia Airardi abbatis et monachorum ejusdem loci aliorumque plurimorum in perpetuam eleemosinam concesserunt, nihil sibi nec suis heredibus retinentes in dictis rebus ; et propter istam concessionem abbas et monachi predicti Roberto, Ereburgi, ejus uxori, Vuillermoque, eorum filio, centum solidos dederunt. Et ego predictus comes centum solidos similiter eisdem dedi, et omne jus et servitium michi debitum de dictis rebus et de toto feodo de Oseio dictis monachis et successoribus suis in perpetuum dimisi et dictam eleemosinam confirmavi. Quod ut ratum et stabile permaneat in futurum, presentem chartam sigilli mei munimine confirmavi ac etiam roboravi. Testibus his : Radulpho, abbate Sancti Andree ; Ga. de Masodavid ; Radulpho Le Bigot ; Radulpho de Ceornel ; Roberto Sanson, et fratre ejus, Gaufrido, et pluribus aliis.